

75

191.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
 DE
INEDIAE NOXA
 ATQVE
VTILITATE

QVAM
 PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNNO
 SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS BORVSSICÆ A CONSILIIS IN-
 TIMIS ET ARCHIATRO ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
 SENIORE ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
 PVBLICE

Ad. d. Maii MDCCXXXIX.
 DEFENDET

A V C T O R
FRIDERICVS CHRISTIANVS STRVVE
 PRIMISLAVIENSIS VCKARO-MARCHICVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ
 Typis IOH. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

Pathol. spec.

509,76

Pathology 418. Zedler

DISSERTATIO IN AVGVRAE MEDICINA
DE
IN MEDICINA NOXA
ATQVE
VTILITATE
SVM
PRAESIDI

FRIDERICO HOFFMANNO
SACRAE MAJESTATIS BORVSICAE A CONSILIIS IN
IMPERIO ET ARCHIDVCA ACADEMIAE PEDIACENSIS
SENATOR ET PLEDICANO

PRO GRADV DOCTORIS
PUBICE
ANNO MDCCLXXII
RECTOR
AVCTOR

FRIDERICO CHRISTIANO STRYVANO
DE PEDIACENSIS ACADEMIAE PEDIACENSIS
PRAESIDI
PEDIACENSIS
Typis Ioh. Gieseler, Hübner, Amdt, J. Hoffm.

REVERENDISSIMO ATQVE ILLUSTRIS-
SIMO DOMINO

DOMINO

GEORGIO DIETLOFF
AB ARNIM

DYNASTAE IN BOYZENBURG BERCKHOLZ-
ZICHAV CETERA

POTENTISSIMO PORVSSIAE REGI ET ELECTORI
BRANDENBURGICO

AB INTIMIS STATUS ATQVE RERVM BEL-
LICARVM MINISTERIIS

NEC NON

SANCTORIS IVSTITIAE COLLEGII ET SVPRE-
MI PROVOCATIONVM TRIBVNALIS
PRAESIDI GRAVISSIMO

VT ET

DIRECTORI RERVM FEVDALIVM
EQVITI ORDINIS St. IOANNIS ET DESIGNATO
COMMENDATORI VERBENAE
DOMINO AC MAECENATI SVO CLEMEN-
TISISSIMO.

REVERENDISSIME ATQVE ILLUSTRIS-
SIME DOMINE

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME

GEORGIO DIETLOFF
AB
ARMIN

DYNASTAE IN BOYZENBURG BERCKHOITZ
NICHAV GREY
POTENTISSIMO PORVSSIAE REGI ET FLECTORI
BRANDENBURGICO
AB IMPERIS STATVS ATQVE REVM BEL-
LICARVM MINISTERIS



I inusitatissimam TVAM huma-
nitatem & clementiam, quæ
omnium fama ac sermone cele-
bratur; si incredibilem quoque
TVAM sapientiam atque in lit-
terarum studia amorem, quam maxima possum,
considero, veneratione: non lane fieri potest,
quin spem ingrediar eamque dulcissimam, fore,
ut

ut audaciæ meæ, qua ILLVSTRISSIMO TVO NOMI-
NI leviculas hæc pagellas, omni, qua par est, re-
verentia & animi sanctimonia volui esse sacras, per
benevole ignoscas. Tanta enim tamque multa ex-
stant TVA in me meosque merita, ut tanta TVA
gratia indignissimus omni jure forem judicandus,
nisi tot beneficiorum memorem TIBI, ILLVSTRISSI-
ME DOMINE, & qualitercunque gratum, exoptatissi-
ma hac occasione, me præberem. Quanquam vero
TIBI, DOMINE CLEMENTISSIME, pro tam splendi-
disimis, quibus me meosque ab omni memoria ex-
ornasti, beneficiis, haudquaquam tantas, quantæ
debentur, agere gratias valeam: TIBI tamen persua-
deas velim, non fore ullum tempus, quo grata TVO-
RVM in me studiorum memoria ac fama moriatur.
Nihil itaque est, quod impensius, quod ardentius
opto, quam ut divinum Numen sapientissimis TVIS,
& consiliis, & inceptis benignissime adspiret, eadem-
que faulste, feliciter ac prospere TIBI evenire jubeat.
Servet TE, CLEMENTISSIME DOMINE cum ILLV-
STRISSIMA TVA CONJVGGE TOTAQVE DOMO pro-
spera valetudie salvum atque incolumem quam diu-
tissi-

tissime, & quibuscunque felicitatis generibus TE ob-
ruat. Ceterum, ut gratia TVA eaque perpetua me
porro amplectaris, est quod omnibus precibus
submisse contendit

*REVERENDISSIME ATQVE ILLUSTRIS-
SIME DOMINE*

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME

ILLUSTRISSIMI TVI NOMINIS

Dabam Halæ Magdeburgi.
cæ die XVI Maii Anno
clō lccc xxxix.

cultor æ cliens omni obsequio
æternum addictus

FRIDERICVS CHRISTIANVS STRVVE.



PROOEMIUM.



Ortaliū vitam ac sanitatem sine necessarij alimenti usu neque diu persistere, neque fartam ac tectam conservari posse, res est usque adeo nota, ut Tiresia cœcior esse videatur in dubium hoc vocaturus; experientia hæc satis superque arguente. Plura quidem sunt atque disperse in Scriptorum monumentis obvia exempla de hominibus, qui per complures menses, imo annos, omni victu prorsus abstinuisse traduntur: at quid argumenti huiusmodi habeant narrationes & quantum fidei ipsis tribuendum, exquisitius perscrutari, nec meum est, nec temporis angustia, qua circumscribor, permittit. Non tamen facere possum, quin aperte atque ingenue fatear, complura ejusmodi exempla mihi omnino videri perquam suspecta; iis præsertim omnem & fidem & sanam rationem excedentibus, nec dum ab omni suspitione sublatentis cujusdam doli prorsus vindicatis. Non desunt autem exempla, ubi homines mente capti aliquamdiu ab omnibus escis se continuerunt, ita ut non nisi singulari calliditate ad alimenta denuo capeßenda, fuerint permoti. Occurrit mihi ejusmodi exemplum, quod a carissimo *Fratre Professore Medicinæ ordinario in inclyta Kiloniensium Academia* accepi, de præfecto quodam militari, qui men-

PROOEMIUM.

mentis impos sibi habuit persuasissimum, se rebus humanis fuisse exemptum: quo nomine, ut haberet, ubi corpus suum jaceret sepultum, in cellam quandam se abdidit, & omni victu sibi abstinendum existimavit. Qui cum nec amicorum precibus, nec hortationibus, ut alimenta assumeret, permoveri potuerit: callido tandem amici cuiusdam consilio hac via a stulto suo jejunandi consilio fuit abductus. Hic nimirum se itidem mortuum simulans, funebri habitu indutum & sandapilæ inclusum, in eandem, ubi alter vere amens occultatus jacebat, cellam deferri se jussit. Quo factò, occasionem nactus est cum mente capto colloquendi, atque eidem persuadendi, nec mortuos in suis sepulcris ciborum usum repudiare, sed potius illum desiderare. Postquam itaque edulia varii generis sibi curaverat transmittenda, iisque vesci inceperat: nec alter ille mente perturbatus dubitavit, se iisdem satiare, hocque pacto vires sui corporis valde labefactas reficere. Complura huiusmodi exempla de hominibus, admirandam inedia perpeffis, qui desiderat, adeat MARCELLI DONATI *Observationes, ut & PAVLI LENTVLI. Hist. de Inedia virginis Apollon. Schreiera*; ubi varia leguntur enarrata; quæ si adducere & diiudicare deberem hoc loco omnia, ingens liber mihi foret excudendus. Mihimet itaque tantum sufficiat hac Dissertatione dilucidius expedire, quid detrimenti humanæ & vitæ & valetudini accedat ab inedia nimis diu sustentata; quidque contra emolumentum ab eadem, in tempore suscepta, nec longius justo protracta, ipsis proveniat.

§. I.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
INEDIAE NOXA ET VTILITATE.

§. I.



Obis iam expensuris, quid & damni & utilitatis inedia tam in sanitate, quam morbis, afferre valeat: prius explicandum erit, quid hoc vocabulo velimus intellectum, quam ipsi rei eo intelligendae nos accingamus. Præmissa hac explicatione breviter expediendum quoque erit, quomodo ab aliis vocibus, velut a fame, efurie, temperantia, quibuscum sæpe confundi solet, dissideat, ne alio accipiatur significato, atque usus loquendi vocolæ huic vindicavit. Est vero inedia qualiscunque abstinentia ab eiusmodi cibis, ex quibus, beneficio ventriculi, chylus ad partes corporis nutriendas appositus elici solet.

Quid inedia sit?

§. II.

Generis itaque locum hac in definitione tenet abstinentiæ nomen, quippe quod inediae verbo generalius est; quemadmodum hoc latinos auctores vel elegantissimos evoluturo clarius apparebit. Namque inediae verbum ad solam esculentorum carentiam respicit; cum abstinentia etiam ad quævis alia, a quibus & animum & manus cohibemus, referatur. Inediam quippe sustinere is dicitur, qui vel nihil ciborum assumit, vel certe parcius iis utitur, quam pro corporis & virium indigentia: abstinet vere se, qui non modo non victitat; verum etiam qui ab animi cupiditatibus sibi temperat, aut manus a re quadam continet neque aliena aufert.

Abstinentia vocabulum inedia est generalius

A

§. III.

§. III.

quomodo differat a fame, esurie, temperantia?

Cognito itaque quid inedia sibi velit (§. I.), non alienum quoque erit leviter perstringere illas differentias, quæ fami, esurie, atque temperantiæ cum inedia intercedunt. Quæ vocabula cum persæpe indistincte & promiscue usurpentur: curatior eorum explanatio omnino necessaria est, ut intelligi possit, quam multum inter se differant. Fames enim est naturale desiderium humanæ menti arcessitum a mutuo illo papillarum nervearum, quibus ventriculi parietes abundant, affricu, quo sibi esculenta porrigi postulat. Quod si hæc ciborum appetentia impensior est atque immoderatio; esurie nomine appellari consuevit. Sin vero ea usque adeo immodica existit, ut edendi cupiditas vix ac ne vix quidem expleri satiarique possit, bulimi nomine insigniri solet. Nullius quoque est negotii inediam a temperantia distinguere, quippe quæ cibi & potus appetitionibus modum duntaxat statuit: ita, ut homo temperans tantum eorum adhibeat, quantum ad corporis & animi vires reficiendas necessarium. Non desunt vero, qui temperantiæ nomen cum inedia permiscent, hisque binis nominibus indistincte utuntur. Neque nescii sumus, temperantiam latiori sensu intellectam omnium cupiditatum moderationem complecti: strictius vero acceptam gulæ solum ac ventri moderari, ne plus alimentorum capiant, quam pro vitæ & sanitatis conservatione.

§. IV.

Inedia est vel naturalis, vel supernaturalis.

Causas a cibis abstinendi peruestigaturo facile liquebit, inediam esse vel naturalem, vel supernaturalem seu miraculosam. Illa, vel ex ipsa corporis humani constitutione, vel certe ex aliis in hoc universo obviis circumstantiis, commode explicari potest: hæc vero a Deo, admiranda profecto ratione, sanctis viris aliquando concessa legitur. Quæ cum ex mortalium natura neque intelligi neque explicari queat: nec ad nos pertinet nec huius huius est loci. Naturalis vero iterum concinne diducitur tam in voluntariam in-
ediam

ediam, quam coactam seu involuntariam. Illa in eiusmodi hominibus deprehensa fuit, qui aut falsam pietatis persuasione induentes, aut malo pravoque animo, aut, ut mortem sibi consciscerent, aut alia quacunque de causa inediam ad tempus tolerarunt. Hæc vero, quæ coacta est, hominibus invitis quandoque in variis morbis usu venit aut mortalibus cæterum sanis accidit; summa videlicet rei frumentariæ inopia exorta; ubi non habent, unde urgentem famam expleant. Utraque tandem inedia, sive voluntate suscepta, sive coacta vel diuturnioris, vel brevioris esse temporis observatur.

§. V.

Prius vero quam ad ipsam rem nos accingamus, operæ pretium facturus mihi uideor, si breviter & veluti in transcurso ostendam, quanta edendi necessitas animantibus incumbat; nec non, quare fieri nunquam possit, ut vita ipsis integra & diuturna sine sufficienti alimentorum usu perduret. Consistit vero animalium vita in perenni & orbico humorum per corporis canales motu, a cordis & arteriarum contractione & dilatatione alterna concitato. Quemadmodum id solide more suo demonstratum dedit decus illud seculi nostri FRIDERICVS HOFFMANNVS Præses Patronus atque Præceptor (a) ætatem colendus. Quamdiu hic sanguinis per corporis vasa circuitus, quomodocunque perseverat; tamdiu animal spirare animadvertimus. Eo autem cessante & penitus extincto, vivere illud desiisse comperimus. Sanitatis autem forma nititur tam æquabili constanti libero & temperato sanguinis per vasorum alveos progressu, ut omnes inde pendentes functiones cum facilitate & constantia peragi queant (b).

(a) Med. system. T. 1. L. 1. s. 1. cap. 2. pag. 68.

(b) BOERH. Institut. §. 1.

§. VI.

Ne vero hic sanguinis in orbem motus iusto celerior, sive tardior evadat, aut plane cesset: sufficienti & proportionata liquidorum indiget copia; partim, ne canales cruore

Quid vita & sanitas?

Quaedam vasorum nutritioni, quaedam vero se-

*Excretio-
nibus vacant*

nimis exhausti collabantur; partim vero, ne sanguinis mole ac vi obruti atque immodice diducti in officio suo, alterna scilicet contractione & relaxatione (§. V.) impediantur. Ex physiologicis enim abunde constat, sanguinem non in orbem solum concitari ope systaltici & diastaltici vasorum motus; sed in ultimas etiam quasque vasorum propagines protrudi. Quarum alia varios & diversos a sanguinis consortio segregant humores eosque eiiciunt: alia vero corpori nutriendo inserviunt. Quæ duæ functiones, quum utramque paginam in nostro argumento compleant: non inconsultum erit, curatius dispicere, quid sanguini iugi motu circumvoluto, in vas suis usu veniat. Quo perspecto, ex facili erit pernoscere, quid causæ sit, quamobrem mortale genus, ad vitam & sanitatem custodiendam, quotidiani fere victus usque adeo eget, ut eo subtracto, utriusque iacturam faciat.

§. VII.

*Sanguis
quid sit?
eiusque ex-
men physi-
cum.*

Intelligimus vero per sanguinem purpureum illud liquidum, ex diversæ naturæ partibus conflatum, quod per corporis vasa perenni motu circumagitur. Sanguineus hic latex quocunque vase, siue arterioso siue venoso, e corpore detractus, inque patina, aeri temperato, quiescens demandatus, in duo diffidentis ingenii partes, alteram scilicet rubicundam in imo vasculi hærentem, quæ sanguis stricte dicitur; alteram vero subflavam magisque fluxam, rubicundæ supernatantem, seri nomine appellatam, sua sponte secedit. Testantibus illud viris ab omni laude felicioribus nempe HERMANNO BOERHAVIO (a) & Excell. SCHVLTZIO (b), Patrono & Præceptore ævum colendo. Rubrum hoc concrementum, si a sero superfuso fuerit disjunctum, & in loco temperato collocatum, pedetentim, sola quiete, fatiscit in liquamen quoddam sero superjecto omnibus dotibus maxime geminum, auctore modo dicto BOERHAVIO (c). Quod si vero serum illud, quod congelatum purpureum cruorem contegebat, ab hoc separatum quieti commiseris: spectare licebit, quomodo sensim

in

in liquorem magis ac magis tenuem ultro discedat ; qui paucis tandem interjectis diebus in putrem ac foetidam abit uliginem, quæ destillata salem alcalinum volatilem porrigit ; observante illud BOERHAVIO (d).

(a) Chemia Tom. II. P. II. Pr. 114.

(b) diss. de sang. constit. nat. §. 2.

(c) aphor. 94. 95.

(d) Chem. T. II. Pr. 115.

§. VIII.

Perspecta jam sanguinis natura, sibi met ipsi relictis, nec ulla violentia exagitati, expediet quoque elementa illius, quæ chemico igni tortus nobis sistit, brevissime perquirere. Quibus exploratis, luculentius postea patebit, qui fieri possit, ut liquidis nostris sub jugi illo motu per tubulosam corporis fabricam temporis tractu aliena indoles inducatur. Si proinde cruor ex qualibet vena missus, omni prius humido exhalato, retortæ inditur vitreæ, & igni paulatim aucto urgetur; primum exhibet flavescens spiritum, liquamine oleoso foetum, quem deinde sal candidus volatilis subsequitur, qui vasis parietibus se applicans adhærescit ; postremo indidem prodit oleum crassum, nigrum & graviter olens, cum sale volatili pariter coniunctum ; remanente, in vasis fundo, carbone exusto nigro & friabili, qui caput mortuum appellari consuevit. Ecce iam tibi illa, quæ sanguis humanus ignis violentiæ commissus præbet principia ; testibus Viris Illustribus FRIDERICO HOFFMANNO (a) & HERM. BOERHAV. (b) quibuscum concinit Excellentiss. SCHVLZE in pererudita Dissertat. de sang. constit. natur. Hisce itaque experimentis discimus, sanguinem, ex diversi ingenii elementis, velut phlegmate, spiritu, oleo tenuiori & crassiori ac denique terra esse coagmentatum. Salm enim illum volatilem, qui cum oleo in sublime latus est, haudquaquam eadem forma in sanguine antea delituisse, sed demum ignis vi productum fuisse : ne-

Sanguinis
examen Che-
micum.

minem præteribit, qui vel leviter tantum Chemica doctrina fuerit instructus.

(a) obs. Chem. L. II, obs. 21.

(b) Chem. Tom. II, Pr. 119.

§. VIII.

Quæ necessitas, ut cruor perpetuo motu in corpore circumagatur?

Est vero ea sanguinis natura, ut tam diu integer persistat, dum in suis canalibus assiduo horum motu concutitur & per eos circumagatur. Etenim, simulac motu vasorum in orbem cieri & agitari desierit, a nativo suo ingenio statim deflectit concresecendo inque foedam putredinem abeundo (§. V. VII). Hæc considerate perpensuro clarius apparebit, quantæ sit & utilitatis, & necessitatis, ut cruor continenter, nec interrupte per tubulosam corporis structuram circumducatur; ne uspiam subsistens cohærescat inque corruptionem transeat; & hac via corporis salutem interitum afferat atque exitium.

§. X.

Quid damni partibus solidis accidat sub motu humorum circumulari?

At vero, quantumvis cunctæ corporis humani partes uberrimos ex hoc sanguinis circumactu percipiant fructus, (§. V. & IX.), si libere, expedite & pro cuiusvis individui temperatura moderate procedat: confessæ tamen est veritatis, easdem plurimum quoque detrimenti ab eodem hoc motu, inevitabili certe ratione, accipere. Purpureus quippe latex, systaltica cordis potentia in vasorum alveos magna vi extrusus, violento impetu in horum parietes illiditur; quos a se invicem diducendo extrorsum urget sicque vasorum efficit diastolen. At vasorum tunicæ in systolen abreptæ, valido renixu in præterfluentem agunt cruorem, quem hac via progredi cogunt. Verum enim vero dum sanguinis globuli omni momento vasorum lateribus valide alliduntur: fieri aliter non potest, quam ut nexus ille corpusculorum, quæ vasorum tunicas cohærentia sua conficiunt, sensim sensimque laxetur, tandemque omnino dissolvatur (a). Quæ cum

ab

ab omni cohæsione cum sui similibus & contiguis corpusculis liberata sint : a sanguine præterlabente correpta per corporis canales una circumducuntur (b).

(a) HOFFM. Med. Syst. Tom. I. L. I. Sect. II. cap. 2. §. 3.

(b) BOERHAV. instit. §. 434.

§. XI.

Jam vero, quum id, quod nunc relatum est, universis canalibus, vel tenerrimis quibusque, in dies accidat : liquido inde apparebit, quemadmodum solidis a sanguinis circuitu labes pedentim & pernicies venire queat. Nec arduum est ex his cognoscere, quare mortale corpus ad sui integritatem & perseverantiam, perpetua indigeat & nutritione & refectione. Nisi enim quotidie vacuis loculis, ex quibus corpuscula commemorata solida sunt evulsa (§. X.), alia subderentur : nihil profecto dubii est, quin brevi de humani corporis fabrica actum foret (a). Nec obscurum erit ex dictis intelligere, quamobrem mortalibus neque vita, neque sanitas possit esse diuturna ; nisi quotidie eiusmodi detrita, per innumeras vias, a sanguinis connubio seiuncta, e corpore exterminarentur. Namque cum hæc partium solidarum segmenta partibus corporis nutriendis non conducant, verum potius iis vim afferant : nihil sane consultius est, quam ut per diuersa emunctoria a sanguinis consortio separentur, & separata e corpore foras eliminentur.

Ulterior huius argumenti persecutio.

(a) BOERHAV. instit. §. 437.

§. XII.

Verum enim vero ipsa quoque fluida, quæ hoc motu per corporis tubulos feruntur, ab illo suos patiuntur manes. Dum enim vasorum latera validissimo renixu cruorem adprofluam concitant motum : eo ipso sanguinis globuli celerrime reperiuntur ; qui valido impetu retrusi collisique invicem se atterunt. Sub quo mutuo & infinite reiterato attritu non globosa solum sua figura privantur ; verum etiam usque adeo

Quid detrimenti ad ipsa fluida redundet ex hoc circuitu ?

adeo; destruuntur, ut in excrementa tandem varii generis fatiscant; erudite illud demonstrante Illustri FRID. HOFFM. (a) Quæ proinde, quum neque corpori humano alendo sint, neque per corporis regiones circumvolvendo: non obscure ex eo cernitur, quapropter ista in dies per tot tamque difsona incernicula foras proscribi necesse sit. Humores itaque omnes vel delibatissimi, quum continuo hoc circuitu in varias sordes & impuritates tandem immutentur: fieri aliter non potest, quam ut iis exclusis liquidorum, vasis replendis, & motui orbico servando necessariorum, debita moles ac vis pedetentim decrescat, ac minor evadat, quam pro canalium amplitudine atque indigentia.

(a) Med. Syst. T. I. L. I. Sect. II. cap. 2. §. 3. it. L. II. c. 4. §. 2. it. obs. Chem. L. II. obs. 21.

§. XIII.

Se - & excretionibus vitæ & sanitati servandis non sufficiunt, nisi amissa in dies restituantur.

Haud quaquam itaque satis est, ista ut recrementa, quæ humorum circuitu prognata sunt, per infinitæ multitudinis organa excludantur; verum necesse etiam est, incorruptorum atque extritorum locum in dies alia, tam solidis quam liquidis integrandis surrogari: optime illud probante Illustr. HOFFMANNO (a). Quo nomine locupletissimus omnis generis esculentorum mortalibus suppetit penus, ut abundanter habeant, unde vivere, corpusque suum reficere queant. Namque ex assumtis alimentis, beneficio organorum Chylopoëorum, chylus præparatur, qui non sanguini modo, in deperditorum locum, novos suggerit globulos; sed detritis etiam solidis partibus eiusmodi corpuscula suppeditat, quæ ipsis de integro apponi, sensimque agglutinari possunt.

(a) Med. Syst. T. L. I. Sect. II. c. 2. §. 4. it. L. II. c. 4. §. 3. seqq.

§. XIV.

Chylo partes impure mixta ad sanguinem deferuntur.

Noli autem putare universas chyli in sanguinem deventi moleculas ad alendum corpus esse appositas. Experientia enim constat, eum innumerabilibus alienæ & peregrinæ indolis

indolis partibus, quas secum ex intestinis advexit, abundare; quæ ad sanguinem traductæ heterogeneas illas augent partes, quæ iam in humorum massa præsto sunt. Ex iis, quæ hæcenus ad satietatem de constanti illa omnium partium corporis mutatione in peius (§. X - XII.) commemoravi, elucebit, animalia omnia vivendo non solum universas, quibus constant, partes perpetim perdere; verum quoque in dies in amissorum locum novas recipere, ideoque sensim usque adeo immutari, ut vix ac ne vix quidem (si constitutivas corporis partes respicias) sibi constant. Neque est, quod hæc pluribus argumentis comprobemus, quum nemo sit, qui perpetuas has vicissitudines, quibus animantia sunt obnoxia, suismet oculis non compererit; dummodo animum attenderit, tum ad infinita illa, quæ animal sustinet, se- & excretionum genera, quam ad eorum incrementa & decrementa, quæ in diverso potissimum ætatis flexu patiuntur. Quod si itaque requiras causam, quamobrem vita & sanitas, obstante licet illa continua immutatione, nihilominus satis diuturnæ haud raro persistant: non profecto ulla huius rei alia subest causa, quam quod non detrita solum & in acres spurcicies redacta quotidie e corpore egeruntur; verum quia etiam in ipsorum locum alia perpetim succedunt, quæ vacuas lacunas reficiunt, & ipsos sub hoc circulari motu in acres & impuras sordes, extenuatos humores perpetim resarciunt, hocque modo & firmis & liquidis partibus suam tuentur integritatem.

§. XV.

Hæc mihi præstruenda esse credidi, priusquam ad inediæ *Noxa inediae*
noxam atque utilitatem explicandas ingrediar. Iis itaque ex- *indicatur*
ploratis, clarius pernotescet, quid damni ab omisso victu in œconomiam animale[m] redundare queat. Vtræque enim partes suas luunt pœnas, homine profus cibo capiendo, quocunque nomine, abstinate, vel certe non tantum comedente, quantum ad labefactas illas nutriendas & integrandas necessarium

B

farium

sarium est. Cave autem existimes, omnem inediam haberi a me noxiam, corporique perniciosam. Sunt enim, ubi modica & tempestiva ciborum abstinencia insignes affert fructus. Id tamen minime negandum, diuturnam inediam plurimum mali vitæ sanitatique inferre. Quod si enim quis, quantumvis sanus, alimenta per multos dies, quin hebdomades assumere desistit: humores ipsius non sensim modo imminuuntur, ut cursum suum conficere vix valeant; sed adeo etiam acres impuri elapso quodam tempore evadunt, ut tam valetudini, quam vitæ ipsi mala eaque gravissima inferant. Quid? quod nec ab eo partes solidæ immunes manent; siquidem vitium ex fluidis paulatim se in has diffundit, utpote quæ ob nutritionem intermissam suo tono ac robore pedetentim exuntur. Quæ omnia ex iam dicendis luculentius patebunt.

§. XVI.

Copia humorum quare in jejunantibus decrescat?

In homine enim cum inedia consistente cum nihil chyli in sanguinem evolvatur: necessaria liquidorum nutritio ommittatur necesse est. Verum quum sanguis nihilo tamen secius in eiusmodi subiectis tam diu in gyrum quomodocunque ducatur, quoad ducunt spiritum: non potest fieri, quin ipsius humores tandem in excrementa fatiscant; (§. XII.) consentiente mecum Ill. FRID. HOFFM. *in obs. Chem. (a)*. Quibus excretis, cum liquida nihil in amissorum locum recipiant: causa inde apparet, quamobrem debita humorum vis ac moles in eiusmodi homine decrescat indiesque minor evadat.

(a) L. 2. obs. 21. it. Med. Syst. T. I. L. II. c. 4. §. 2.

§. XVII.

Experientia testimonio confirmatur.

Ipsa quoque experientia hoc facit testatum in hominibus diu jejunantibus, ideoque fame pene confectis & consumptis. Namque si eiusmodi hominem nobis ante oculos ponamus, imprimis quem obesi antehac & amplissimi corporis fuisse novimus: sane miserebit nos ipse, intuentes attenuatissimum eius habitum, a priori longe mutatum; qui macie

con-

confectus atque omni vivido colore & vigore iam exutus conspicitur. Facies quippe ipsius perpallida, cava lumina, acutus nasus, vox tremens & suppressa, vasa exhausto sanguine vix visui obvia, omnium se - & excretionum imminutio atque insignis illa in toto corpore macies, torpentibus atque infractis viribus animi & corporis stipata, satis luculenter arguunt, ubertatem sanguinis adeo exiguam & parvam vasis esse superstitem, ut vix iis patulis servandis & motui suo in orbem per illa continuando sufficiat; argumento evidentissimo, liquidorum legitimam non solum copiam longa ciborum carentia sensim decrescere, atque extenuari; sed alienis quoque eo ipso indui dotibus.

§. XVIII.

Neque ullius est negotii ex iam relatis clare perspicere, quo pacto sanguini, inedia, præsertim longius protracta, peregrina paulatim indoles & natura induci queat. Supradictis enim constat fluida sub perenni illo per canales suos transitu, non pauciora solum fieri; sed creberrimo quoque illo concussu in moleculas acres sensim mutari (§. XII.). Acres istæ moleculæ, primis quidem inediæ diebus, a sanguine disiunctæ, foras exturbantur: at quantitate purpurei laticis deficiente, partiumque solidarum viribus attritis, in humorum massa detinentur; ubi tardissimo motu circumductæ tandem computrescunt inque acerrimas abeunt quisquilias. Ne vero hæc temere nobis dicta existimes: in rem erit nostram, experimenta illa, quæ Batavorum illud fidus, incomparabilis BOERHAVIUS, cum diversis humani corporis humoribus, velut lotio & sero cepit, hoc loco subnectere; quo liquidius intelligi queat, quid sanguini fiat, si huiusmodi recrementa ipsi permaneant remixta.

Sanguis inedia in acres salinas partes convertitur.

§. XIX.

Observatum vero est indefesso huic naturæ scrutatori(a),

Experimenta Boerhavi

*cum lotio sus-
cepta.*

tori (a), urinam sani hominis naturalem duodecim horis a pastu redditam, & in vase quocunque, aeri temperato triginta graduum expositam, a natura sua ita desciscere, ut incipiat olere, putrere, colorem citrinum mutare in obscure fuscum; & crassis fæcibus depositis, paucorum dierum interjectu, alcalinam lixiviosam induere naturam. Id quod tanto citius, faciliusque lotio contingere animadversum est, quanto tempus, quo experimenta hæc instituuntur, est fervidius, velut adulta, aut præcipiti etiam æstate. Vt autem exploratum quoque habeat, quid urinæ in vase clauso reconditæ, & ab aeris ambientis aditu munitæ eveniat; istam in vase quodam vitreo, ita ut lagenam repletet, subere arcte impresso, in locum modice temperatum seposuit. Quam deinceps, elapsis tribus mensibus, sua sponte mutatam, atque omnibus iis dotibus deprehendit indutam, quibus lotium in priori experimento præditum cognovimus. Urina scilicet ita digesta, non a naturali suo tantum colore desciscens, sensim duxit obscuriorem: sed manifestum quoque foetorem spiravit alcalinum, longe ab eo diversum, quem recens prodere solet. Quid? quod cum lotium ita digestum (b) ex cucurbita vitrea destillando urserit: prodiit inde aqua foetida, acris, ignea, prorsusque alcalina & cum acidis admixtis violentissime effervescens; quæ alto ex vase leni igne denuo acta salem album, acrem, solidum penitusque alcalinum exhibuit; remanente in vasis fundo, uligine ingrati & foetoris & saporis.

(a) elem. Chem. Tom. II. Pr. 100.

(b) item Pr. 101.

§. XX.

*Eiusdem ex-
perimento
cum sero.*

Quæ urinæ obvenisse hæctenus vidimus: eadem quoque sanguinis sero, vitro quodam mundo excepto, & quieti atque calori septuaginta graduum commisso accidisse, eodem teste (a) didicimus. Occipit enim in horas mutari, paulatimque tenuius evadere; ita ut triduo vel quatruiduo præterlapso

lapso in liquamen faniosum fatiscat gravissime olens; id quod per aliquot dies in calore definito adhuc detentum in putridam, graveolentem atque alcalinam abit illuviem, quæ cum affusis acidis prompte confligit & destillata salem alcalinum porrigit.

(a) Chem. T. II. Pr. 115.

§. XXI.

Experimenta hæc qui exquisito examine perpenderit, facile ex illis augurari poterit, quid hominibus inedia diu maceratis contingat. Nam quum ex supra memoratis manifestum sit, liquida vitalia in eiusmodi homine adeo esse exhausta atque imminuta, (§. XVI.) ut ob parvam, quæ vasis adhuc superstes, molem, lentissimo motu circumagantur: nemini non patefcet, iusta humorum copia deficiente, minimos vasorum surculos sanguine vix irrigari posse, eosque ita collabi atque evanescere. Id quod etiam satis superque liquet ex illo colore perpallido, quem eiusmodi fame confecti homines ostendunt. Jam vero, quum secretiones omnes in minimis duntaxat fiant vasorum propaginibus: apparet inde, cur his occlusis, vel certe minus patentibus, acres istæ & peregrinæ fordes, in sanguine hospitantes, ab eo non sufficienter sejungantur atque foras exigantur.

Cur se. & excretiones in diu ieiunantibus iacturam faciant?

§. XXII.

Verum enim vero, quantum detrimenti ab eiusmodi recrementis in sanguine residuis ad solidas & liquidas emanet partes, non obscure patebit prædicta experimenta (§. XIX.) in memoriam revocatur. Non enim dubium est, quin iisdem per complura colatoria, velut renes, cutim &c. alias vacuari solitis, iam vero in massa sanguinea relictis, eadem mala usu sint ventura, quæ lotio & sero in enarratis experimentis accidisse deprehendimus. Nec video, quid impediatur, quo minus lotium & perspirabile serum, si in sanguine remanent, vel in ipsis vasis, easdem subeant mutationes, quas in relatis

Noxa, que inde in corpus relandat.

experimentis passas esse comperimus; non obstante illo iugi motu, quo per corporis canales circumvehuntur. Testimonio enim illius experimenti, quod Boerhavius cum lotio in vase clauso instituit, in confesso est, eiusmodi recrementa, sub perenni sanguinis circulo in corpore prognata, ibique retenta & calore fota interiectu temporis putrescere, acerrima evadere, atque indolem prorsus induere alcalinam. Neque existimem, fore, ut aliquis de hoc dubitaturus sit; dummodo secum reputaverit, quantopere diu ieiunantibus sanguinis copia indies imminuatur (§. XVI. XVII.). Qui ergo continenter attenuatus atque diminutus, non ea, qua decet, vi in vasorum latera agit, ipsaque extrorsum urget; unde hæc languidius in cruorem reagunt. Infracta vero vasorum resistantia, non aliter fieri potest, quam ut liquida tardius iusto circumvolvuntur. Quæ ergo lentius mota, hocque modo sibi relicta & calore fota quantulocunque, in sales alcalinos oleaque volatiliora acria fatiscunt. Quemadmodum enim sanguis motu validiore agitur in huiusmodi acria resolvitur excreta (a): ita quoque languidiori motu circumductus sibi que permistus sensim a se ipso deficit, inque corruptionem transmigrat.

(a) BOERH. aph. §. 100.

§. XXIII.

*Experientia
excretorum
acrimonia
confirmatur.*

Ipsa quoque attentior observatio hæc luculenter arguit in hominum eiusmodi excreta inquirendo; quæ abunde illam prodere solent acrimoniam, qua ipsorum sanguis inquinatus est. Saliva enim, quam exspuunt, luculentum exhibet huius acrimoniæ testimonium, docente BOERHAVIO (a). Sic quoque gastricum liquidum satis mordax in diu ieiunantibus esse deprehenditur: testante eodem BOERHAVIO (b). Exiguuum quoque illud lotii, quod reddunt, & foetore nares graviter feriente & sapore suo acerrimo, manifestum est indicium alcalinæ illius corruptelæ, qua sanguis ipsorum deprava-
tus

tus est. Testimonium exhibet PAVLVS LENTVLVS in historia inediae, quam toleravit virgo Apollonia Schreiera p. 11. Neque ullum est dubium, quin omnes cæteri humores æque manifesta indicia putredinis incipientis fuerint prolaturi, atque illi, quos nominatim appellavimus; dummodo curatius illos contemplari medentibus fuisset integrum.

(a) Inst. §. 66.

(b) Ibid. §. 77.

§. XXIV.

Perspecto igitur detrimento, quod humores ex diuturna inedia capiunt, in eo est, ut brevi dicam, quæ mala ex eodem fonte ad solidas partes manent. Nolo autem dedita opera longus esse in commemorandis calamitatibus, quæ ventriculus & intestina inde accipiunt. Sed istarum meminisse refert, quæ in firmas partes se diffundunt. In eo autem totius rei cardo potissimum vertitur, quod primo necessaria ipsorum nutritio in eiusmodi hominibus pene cesset; deinde vasa corporis conspectiora, ob liquidorum penuriam, in dies ingravescentem sensim coarctentur, minora vero penitus coeant; postremo quod ipsis paulatim subtrahatur, unde robur & vis eorum systaltica maxime pendet.

Quæ mala ad solidas partes transeant.

§. XXV.

Quum enim perpetuo hoc solidorum attritum ab irrequito sanguinis per illa circuitu, innumerabilia sane corpuscula, quæ cum aliis sui simillimis connexa vasorum parietes constituunt, avellantur: (§. X.) lacunis istis replendis alia esse intrudenda necesse est. Jam vero, quum nihil chyli, homine impasto, ad sanguinem accedat: nutritionis quoque cessat negotium. Nec difficile erit indidem intellectu, quamobrem canales corporis insigniores, pedetentim angustiores evadant, ultimis eorum ramulis prorsus collabescentibus. Justa enim vasorum distensio & dilatatio solis tandem liquidis, quibus implentur, in acceptis est ferenda. Sanguinis ergo

Quare robur solidorum atteratur?

ergo copia quotidie extenuata, nec denuo integrata, vasorum quoque parietes, ut propius ad se invicem accedant, est necesse.

§. XXVI.

Ulterior materiae huius tractatio.

Quid tandem causæ sit, quare systole atque diastole vasorum in hominibus inedia longinqua maceratis elanguescat, obscurum non erit cogituro, quæ de intermissa vasorum refectione necessaria admodum (§. XXV.) dicta sunt; deinde alternantem hanc ipsorum contractionem & remissionem delibatissimo cuidam fluido, per nervos vasibus quibusque allabenti, potissimum deberi; fusius illud demonstrante Illustr. FRID. HOFFM. (a). Deficiente autem chylo, deest quoque ex quo eiusmodi humor subtilissimus omnium reparari ac refici debet, confirmante illud Ill. FRID. HOFFM. (b). Hinc minime mirum est, desiderato huiusmodi liquido nerveo, quod corporis partes movendi potentia instruit, systalticam quoque & diastalticam vasorum vim torpescere, atque adeo a suo movendi officio desciscere.

(a) Med. Syst. T. I. L. I. Sect. I. c. 4. §. 10.

(b) ibidem Sect. III. c. I. §. 5.

§. XXVII.

Chyli novi necessitas in corpore humano.

Postquam ita cognitum habemus, quid vitii, tam solidæ quam fluidæ corporis faciant partes, homine epulis perlongum temporis intervallum abstinente: perspicuum iam inde erit, quantæ sit necessitatis, ut sanguini nostro prope modum indies novus accedat chylus. Ea quippe chyli est natura atque indoles, ut sibimet ipsi relictus facile ace scat; omnibus contra aliis humoribus ad alcalinam corruptionem propendentibus, consentiente Ill. HOFFM. (a). Argumento nobis esse potest ipsum lac sanorum animantium; utpote quod nihil aliud est nisi chylus paulum immutatus, solide illud probante Ill. FRID. HOFFM. (b). Id quod si sibimet commiseris, in aere puro & sub tepido collocatum, quiescendo accescere

fcere

scere, tandemque penitus in acidum degenerare deprehendes, observante illud Cl. BOERHAV. (c). Haud quaquam vero sufficit, ut ea tantum restituantur, quæ solidis & fluidis detritis fuerunt perdita: sed ut acria ista etiam, quæ in corruptelam transeunt alcalinam, oleosis chyli partibus involvantur; ne acrimonia sua sanis adhuc partibus vim inferant easque destruant. Humana vero liquida, quum vel celerius iusto, vel languidius per tubulos corporis provoluta, dotibus alcali volatilis condonari incipiant (d): clare liquet, acidas chyli partes, si eiusmodi alcalinis corpusculis fuerint obviæ, cum his esse concreturas in salem neutrius generis, humanæ naturæ amicissimum.

(a) Med. Syst. T. I. Sect. I. c. 5. §. 14-17.

(b) Ibid. Sect. c. 14. §. 2. 3.

(c) Chem. P. 2. Pr. 99.

(d) BOERH. Aph. §. 80. & 100.

§. XXVIII.

Quod si vero causam requiris, quamobrem quotidiana fere chyli renovatio homini cuicumque, vel sanissimo, sit necessaria: habeto chylum sanguini infusum viginti quatuor horarum spatio, necessaria sua utilitate ac præstantia omnino esse exutum, BOERHAVIO egregie hoc annotante (a). Hoc enim temporis tam solidis partibus nutritionem iam præstitit, quam utiles & blandos humores sanguinis & copiam & integritati tuendis idoneos peperit. Quicquid vero reliquum inde fuit, iam in varii generis recrementa acria & spurca abiit. Quocirca, ut eiusmodi acria obtundantur atque involvantur: novus chylus sanguineæ massæ reddendus est, cuius blanda & acescente natura eiusmodi acria velut irretiuntur. At vero, si digestionis negotium aliquandiu intermittitur, nihil profecto erit certius, quam ut talia ramenta in sanguine fluctuantia sensim computrescant, atque tantam

Et quam ob causam quotidie accedere debet.

C

con

contrahant acrimoniam, ut incolumitati reliquarum partium parent exitium.

(a) Aphor. §. 80.

§. XXIX.

*Ratio, quare
in febribus
acidula con-
veniant?*

Omnia itaque oculis erit testatius, quam plurimum referat in omnibus iis febribus, ubi sanguis celeriori cursu canales pervadit, velut in ardentissimis, inflammatoriis atque malignis quibuscunque, alimenta moderate acida ægrotantibus offerri; seu aquosa, cum eiusmodi nutrientibus combinata, quæ blandum atque acidulum sanguini chylum, vel chylo quid proximum, subministrant. Quum enim his in morbis, præcipue vero malignis, humana liquida eiusmodi putrescentibus & alcalinis summæ activitatis sordibus iam redundant, violentissimo sanguinis motu enatis (a): non obscure ex iis comparebit, quam sit necesse, ut aquosa non solum ægris præbeantur; sed ea quoque, quæ sanguini chylum blandum & subacidum, vel certe dotibus ipsi similibus præditum, suggerant, ut accipiant, unde acria ista & salina volatilia figi atque subigi queant.

(a) HOFFM. Med. Syst. T. III. Sect. II. c. I. §. 13.

§. XXX.

*Noxa inedia
diuturna in
febribus.*

Vix igitur satis dici potest, quantum ad talia salina inquinamenta perdomanda ptisanæ, ex avenaceis & hordeaceis cæterisque similibus farinosis paratæ, faciant, cum acidulis blandioribus coniunctæ; quippe quæ, salina ista acria obvolvendo, & sanguinis particulis se interjiciendo, impediunt, quo minus illæ se immediate contingere & mutuo atterere possint. Quamobrem haud obscure inde elucebit, quanto pere exquisita ab omni nutriente abstinentia eiusmodi ægrotis officiat, & quam male cum iisdem agatur, si ipsis modico alimentorum usu interdicitur. Hoc enim factò, nihil certius eveniet, quam ut ista salina & oleosa volatilia acria, quæ sanguini innatant, quum sibi met permissa sint, in dies multo acriora evadant.

§. XXXI.

§ XXXI.

In antecedentibus noxa & solidorum & fluidorum ex continentis sanguinis motu prolixè satis indicata est, quomodo scilicet in varias fordes atque fæces convertantur: quam ob causam istæ perpetuo a sanguinis consortio segregandæ & proscribendæ: & denique quamobrem tam solidis, quam fluidis, nutritione eaque quotidiana ferre opus sit. His iam expolitis, in eo est, ut breviter quoque dispiciamus, quosnam inedia morbos diutius tolerata humano corpori pariat. Si quid vero his in morbis maxime venit annotandum: certe est illa spontanea humorum corruptio, & in alcalinam naturam mutatio, quam sensim sensimque induunt, si sanguinis penuria ingravescit, & recrementa dicta, ob se- & excretiones diminutas, pedetentim aggerantur. Quanta enim, quamque exitiosissima inde humano corpori nascantur mala: cuicumque facile liquebit, experimenta (§. XIX) descripta considerate perpensuro; ubi lotium, in vase licet occluso, moderato calore forum, in putrem alcalinæ naturæ uliginem deprehendimus immutatum. Quanta autem alcalinorum volatiliū vis sit atque efficacia ad putredinem vitalibus liquidis inducendam, ex chemicis adeo notum est, ut operam sane tempusque contererem, demonstratum illud hoc loco iturus.

Morbi, qui ex inedia oriuntur.

§. XXXII.

In numerum itaque morborum, qui abstinentiæ ciborum diuturniori suam debent originem, maxime veniunt referendæ febres omnis generis putridæ & contagiosæ, velut catarrhales malignæ; petechiales, castrenses, pestilenciales, dysentericæ malignæ & complures eiusdem indolis aliæ, quas identidem epidemice in mortale genus sævire & per vicos atque urbes, quin imo per multas gentes, late stragem edere, tristissima, proh dolor! experientia comperimus. Non quidem inficias ivero, ferales hos quoque morbos mortalibus

Ulterior huius materie tractatio.

haud insolenter a causa quadam externa, nimirum a subtili quodam putrefaciente inquinamento, per aerem disseminato, atque inde vitalibus liquidis tacite subrepente, consari, cum observatione ipsa hoc sit exploratissimum: at vero consentaneum est, tale miasma, iis hominibus, quos invadit, vix ac ne vix quidem tantam cladem esse illaturum, nisi vim ipsorum vitæ iam undelibet labefactatam & attritam, aut humores largo impuratum & recrementorum proventu contaminatos inveniret, quos igitur in motum intestinum auctiorem coniectos facile ad foedam & funestam traducere valet putrefactionem. Jam vero quum mihi sit animus has afflictiones eatenus hoc loco pertractare, quatenus ab inedia pariuntur: nihil attinet, de eiusmodi contagioso veneno per aerem disperso multa hoc loco proferre.

§. XXXIII.

Ratio quare morbi maligni ex inedia proveniant.

Perniciosos vero hos morbos sæpius quoque ex perpessa longiori inedia ortum capere suum, nullo extrinsecus in huius liquida irrepente inquinamento, dilucide apparebit causam & fomitem horum affectuum pervestigaturo. Videmus quippe, eiusmodi mala illis maxime hominibus suboriri, quorum sanguis sordibus salinis & oleosis acribus affluit; quæ in auctiorem motum intestinum & putredinosum, quacunque etiam causa, abreptæ, tam firmas quam liquidas corporis partes corrumpunt ac destruunt. Formalis enim omnium malignarum febrium causa maxime sita est in intima mixtionis partium corporis resolutione, adeoque in perfecta ipsarum putrefactione. Jam vero quum ex iis, quæ supra uberius diximus, perspicue compareat, homines, diuturna fame propemodum absumptos, ingenti recrementorum potissimum salinorum volatilium & oleosorum acrium abundantia esse præditos: nemini profecto mirum videbitur, cur id genus mortalium huiusmodi putridis atque exitialibus morbis omnium præcipue pateat.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Ac profecto, quoties nonne vulgaris experientia hæc, eheu! abunde facit testatum? Deprehendimus enim, illos mortales contagiosis huiusmodi morbis præ aliis tentari, qui ob annonæ difficultatem fame per diu cruciati ac prope enecti fuerunt. Hinc non insolemne est, illas regiones eiusmodi epidemicis & feralibus morbis, id potissimum temporis, infectari, quo longa præcessit annonæ caritas, ubi incolæ, vel famis injuriam diutius perferunt, vel certe obviis quibuscunque, quæ non sunt esui, sese ingurgitant, ut famem urgentem, qua CICERONE teste nihil miserius, utcunque compescant. Sic multo quoque usu cognitum est, febres omnis generis castrenses, inque primis malignas dysenterias, quin imo pestilentiam, per urbes, diutina obsidione ab hostibus cinctas, aut per castra, si hæc comætu, aut frumento sunt interclusa, incidere, & militibus maxime gregariis cladem inferre; non certe ulla alia ratione, quam quod corpora ipsorum longinqua, quam tolerarunt, inedia, & sanguine & viribus magnam partem sunt exhausta. Purpureum itaque liquidum, quod restitat, quum iter suum in cospectioribus tantum vasorum alveis tardissime conficiat; minimis ipsorum propaginibus, vel plane collapsis, vel secernendo humori minus perviis, ut magno omnis generis sordium proventu pedetentim scateat, sensimque in putredinem ruat, necesse est. Qua itaque in ipsis humoribus corporis humani orta, utique aliter fieri non potest, quam ut tales putridi & contagiosi inde emergant morbi, quorum semina putrida aliis corporibus, quantumvis specie sanis, adpersa & communicata, ipsis similem inducunt corruptelam. Clare itaque ex dictis liquebit, quare vis huiusmodi morborum longe lateque haud raro se diffundat, atque ingentem mortalium stragem edere soleat.

§. XXXV.

Equidem non inficior, homines, vel robustissimos & sanguine plenos, eiusmodi febribus putridis subinde corripì, si

*Experientia
id confirmat
in castris &
urbibus obsi-
dione cinctis.*

*Quomodo ori-
antur homi-
nibus sanis?*

quocunque nomine sanguinem ita commoverunt, ut citatissimus feratur per corporis vasa. Quo in casu liquidis sub constanti & velocissimo motu eadem accidere necesse est, quæ supra fusius (§. XII.) demonstravi. Fluida quippe & solida, velocissimo sanguinis motu detrita, dissolvuntur in sales & olea; quæ, pergente hoc motu, nimis attenuantur & volatilia redduntur. Hæc si in corpore sensim coacervantur, sibimet ipsis permixta, suam sequuntur naturam, abeundo in putrida & summæ activitatis recrementa, quæ tam solidis quam fluidis foedam conciliant putredinem. Hæc vero quum genitrix dictorum morborum sit foecundissima: clare iam intelliges, quam ob causam commemorata mala corporibus ceteroquin prospera valetudine fruentibus, venire etiam subinde possint frequentissima. Unus enim idemque effectus a pluribus interdum ac dissidentibus inter se causis proficisci potest.

§. XXXVI.

Usus inedia.

De industria tacitus ista damna prætereo, quæ ventriculus & intestina ab intermisso victu accipiunt, ne rebus per se claris atque ex iam dictis intellectu facilibus immorer. Missis his, iam ad utilitates, quas modica a cibis abstinencia quandoque affert, exponendas ingredior. Non enim temere supra (§. XV.) iam dixi, opportunum & in tempore susceptum jejunium, utique nonnullis ægrotantibus magno usus esse. Quemadmodum quoque priscis iam Medicis hoc pernotuisse videtur, utpote quibus inedia iam ab omni memoria in magno semper fuit pretio. Quapropter eam debita sua laude non fraudandam existimavi, præsertim, quum sint, ubi moderata ciborum abstinencia omnino locum invenit.

§. XXXVII.

*Inedia obesi
conducit.*

Magno itaque sanitatis commodo temperata commendatur inedia, per intervalla suscipienda, illis hominibus, qui perquam obesi & crassissimi corporis sunt, ideoque pinguitudine

dine laborant; ubi pingue illud, in cellulis adiposis reconditum & sua abundantia corporis partibus molestum, sensim colliquescendo, sanguini refundit, atque ita graciliorem ipsis recociliat habitum. Quamvis enim id hominum genus aliquamdiu cibatu omni se absteineat: tantum tamen abest, ut damnum inde faciant; ut potius permolesto sibi suo corporis onere inedia hac plurimum se levatos sentiant. Non negari quidem potest, liquida, vel in habitioribus huiusmodi corporibus, in dies singulos continenti sanguinis motu itidem sensim deteri, & in salina acria extenuari, quæ pariter involventis cuiusdam egent. At quum homines obesi locupletissimo partium oleosarum atque nutrientium penu instructi sint; unde natura ipsa, nullo in sanguinem delato chylo, blandas alibiles moleculas depromit, & sanguini immiscet ad acria irretienda: in propatulo erit, quare corpora pinguia non multo facilius solum famem perferre queant, hominibus macris; sed indidem quoque magnum fructum percipiant.

§. XXXVIII.

Expedit quoque ciborum usu illis interdicare, qui ingenti cruoris ubertate redundant, modo cautio sit, ne se- & excretionibus ipsis imminuantur, vel omnino inhibeantur, quo recrementa illa acria, sanguinis motu progenita, constanti successu per cutim potissimum & renes foras exigantur. Hac quippe via impeditur, quo minus generata ista acria in sanguinis massa accumulari possint. Ipsa vero sanguinis redundantia moderato ieiunio, alternis subinde repetendo, paulatim diminuitur, inque excrementitios discedit humores; qui per emunctoria constanter e corpore educti, sanguinis affluentiam sensim sensimque ad iustam proportionem perducunt. Qua obtenta, jejuniis statim plethorico desistendum, & cibis modice utendum; ne quid detrimenti ab esurie diutiusæquo protracta capiat.

Ex plethoricis

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Et cacochymicis.

Magni quoque est usus temperata abstinencia in cacochymia acida, vel si mavis, scorbutica, ubi acidorum copia delinquit. Quum enim (§. XXVIII.) dictis luculenter constet, eam esse chyli nostri indolem, ut suo ingenio facile coalescat, quin imo, suæ naturæ traditus, reapse in acidum transmigret: haud difficile cognoscetur, hæc tanto facilius, certiusque chylo in corpore cacochymico esse obventura, quanto abundantius eiusmodi impuris atque acidis succis scatet. Verum est & compluribus a BOERHAVIO institutis satis evictum experimentis, in sanitate integra, nec acida, nec alcalica; sed salia duntaxat mediæ naturæ in corpore generari (a). Acida enim, cum chylo sanguinem ingressa, vi vitæ ita immutantur, ut non sint talia amplius; id quod etiam alcalinis cum chylo in sanguineam massam devolutis contingit. At vero cum in dyscrasia humorum acida tam largus acidorum proventus in sanguine iam exstet; & illa corporis vis, quæ tum acida, tum alcalina, in blandas neutrius generis partes converti debent; in cacochymicis iam valde labefactata sit: certo certius est, adventantes cum chylo partes in eiusmodi corporibus, acido multo instructis, suam ipsius naturam esse sequuturas, inque acidum degeneraturas.

(a) Chem. Tom. II, Pr. 92. p. 305.

§. XL.

In morbis ab acido provenientius.

Proinde multum quoque confert modica abstinencia ad omnes illos morbos, qui ab acido in massa humorum redundante suos ducunt natales; quos si autem omnes, mihi nimis longus sermo foret. Ex tanto eorum numero mihi hoc loco tantum sufficiat venereæ luis meminisse. Quantumtopere ipsi tollendæ abstinencia ab omni cibo conducatur; nemini obscurum esse potest, qui egregium illum, quem VLRI-CVS ab HVTTEN de curatione huius mali evulgavit, tractatum unquam evolverit. Ostendit enim ibi inediam, vel certe par-

par-

parcissimum ciborum usum, plurimis foeda hac lue affectis saluti fuisse, praeter quem nihil nisi decocto ligni guajaci & lenioribus alvum laxantibus ad hoc malum debellandum usi sunt; cui etiam BOERHAVIVS assentit. (a) Acidum vero quoddam hoc in morbo omni iure accusari posse, omnium doctissime demonstravit Ill. FRID. HOFFM. PRAESES. Actum igitur agerem, pluribus hic argumentis probaturus, venereum miasma acidæ esse indolis.

(a) In peculiari tractatu & Aphor. §. 1458.

§. XLI.

Neque caret moderata inedia insigni sua utilitate in ventriculi & intestinorum morbis, vel ab insigni huius debilitate, vel cruditatibus acidis, quin viscidis provenientibus. Quo nomine etiam in malo hypochondriaco & hysterico, anorexia, dyspepsia aliisque id genus morbis, qui sedem suam in ventriculo habent fixam, multum prodest; dum modo non nimis diu sustineatur; verum potius, prout corporis & vires, & ipse morbus eam perferunt, per intervalla tantum suscipiatur. Quemadmodum enim quaecunque vel innocentissima, si modum excedunt, nocere possunt: ita quoque ciborum abstinentia, diutius iusto extracta adeoque immoderata; vel iis praecepta, quorum vires summopere attritæ atque exhaustæ sunt, plurimum damni affert.

*In ventriculi
& intestinorum morbis.*

§. XLII.

Animus si mihi esset hoc loco in laudes inediae moderatae excurrendi atque ostendendi, quibus morbis illa subinde sit praesidio latissimus sane mihi pateret differendi campus. Ne igitur sermo de abstinentiae noxa & usu longius excurret, quam dissertationis termini permittunt, eam facio missam; breviter duntaxat ostensurus quare vetustissimis Medicis inedia semper fuerit celebratissima. Quanti enim abstinentiam venerabilis antiquitas omni memoria fecerit:

*Quanti inedia
antiquitas fecerit?*

D

nemi-

nemini ignotum esse poterit, nisi in re litteraria hospiti & ignaro. Constat enim inde, primum Asclepiadem, qui Prussiae Bithyniae urbe natus, inde Romam se contulit (a), cum Themisone Laodiceo, famigeratissimo Methodicae sectae auctore (b), plures morbos sola saepe abstinence feliciter curasse; CORNELIO CELSO memoriae hoc prodente, ut qui aureolo suo de Medicina libello (c), *Asclepiades*, ait, *ubi aegrum tri-duo per omnia fatigaverat, quartum diem cibo destinabat. At Themison nuper, non, quando coepisset febris, sed quando desisset, aut certe levata esset, considerabat, & ab illo tempore expectato die tertio, si non accesserat febris, statim, si accesserat ubi vel ea desierat, vel, si assidue inhaerebat, si certe inclinaverat, cibum dabat.*

(a) STOLLE hist. der Medic. Gefahrheit p. 36. it. Le CLERC. Hist. Med. pag. 392.

(b) STOLLE L. C. pag. 44. it. Le CLERC. p. 439.

(c) L. 3. c. 4.

§. XLIII.

*Thessalus
quantum fe-
serit?*

Sic quoque de Thessalo, qui imperante Nerone vixisse dicitur, relatum legitur: ipsum primum omnibus aegrotis, se ipsius curationi tradentibus, sedulo praecipisse, ut tribus primis morbi diebus cibis plane abstinerent; quod jejunium tri-dui diatriton appellarunt (a). Quo diatrito spatium illud ternorum dierum, quibus aegrum victu prohibebant, intellectum voluisse fertur; minime vero ipsam a cibis abstinence; uti Gorræo perperam visum est, probante illud Clerico (b). Quo factum, ut cuncti Methodicorum sectae addicti, Thessalo praeeunte, se legi huic postea adeo exquisite adstrixerint, ut Diatritarii inde etiam fuerint nominati (c).

(a) Le CLERC. L. C. p. 45.

(b) ibid. p. 473.

(c) STOLLE Libr. c. p. 51.

§. XLIV.

§. XLIV.

Nec ipse CORNELIVS CELSVS opportunam abstinentiam improbasse videtur, quia abstinentiam, sua ipsius experientia edoctus, valde commendat (a). Diserte enim perhibet (b): *in itia morborum primum famem sitimque desiderant: & alio loco (c), igitur, inquit, si quid ex his, quae proposita sunt, incidit, omnium optima sunt quies & abstinentia, proximeque abstinentiam sumendus est cibus exiguus.* Porro de diversis curationum generibus (d), *ager, inquit, a cibo abstinentus primis diebus est: itidem citato capite, in pluribus, ait, ad initium cibi dies quartus aptissimus esse consuevit.* Quod haud obscure prodit, ipsi veterum diatriron haud displicuisse, quamquam illud non perpetuum exegerit. Quid? quod HERACLIDES TARENTINVS in curatione febris quartanae usque eo processisse scribitur, ut aegrotos ad septimum usque diem inedia maceraverit, teste eodem CORN. CELSO, illum ita reprehendente (e): *quo minus etiam curatio Heraclidis Tarentini probari debet, qui primis diebus ducendam alvum, deinde abstinentum in septimum diem duxit.* COELIVM quoque AVRELIANVM, qui Sorani discipulus fuisse (f), ac complura dogmata ex eius monumentis conscripta & nobis servata reliquisse dicitur, veterum diatriron plurimum fecisse, passim in eius libro *de morb. chron. & acut.* obvium est & perspicuum. Testatissimis enim verbis profert, adhibendam esse in apoplexia abstinentiam usque ad primum diatriron: item eodem loco alternis diebus in hoc morbo cibum esse dandum (g).

Testimonia
Celsi, Hera-
clidis & Coe-
lii Aureliani.

(a) Libr. 3.

(b) Libr. 2. c. 16.

(c) Libr. 3. c. 2.

(d) Libr. 3. c. 4.

(e) Libr. 3. c. 15.

(f) CLERICVS Hist. Med. p. 455.

(g) Libr. 3. c. 5. p. 203.

§. XLV.

*Hippocratis
& recentio-
rum de ine-
dia sententia*

Ipsum quoque Medicinæ Parentem magnum HIPPOCRATEM in magno pretio habuisse opportunam a victu abstinentiam, liquido ex eius monumentis apparet: dum in *L. de vet. Medicin.*: *fames, ait, plurimum potest in hominum natura ad sanitatem.* Nec desunt ex recentioribus Medicis complures, qui inedia, opportuno tempore ægrotis præscriptæ, multum laudis atque utilitatis attribuunt. E quorum censu nobis hoc loco allegare liceat IOHANNEM FERNELIVM, qui in *L. de Morb. caus.* disertis verbis testatur, se longiori inedia, aut tenuiori paciorique victu aliquando morbos vel periculosissimos quosque & maxime ancipites feliciter debellasse, ubi medicamenta nequicquam fuissent adhibita. Nec dissentit ab his Ill. HOFFMANNVS PRÆSES, qui perdocta sua *Diss. de inedia magnorum morborum remedio*, præclare demonstravit, quantæ sit illa efficaciam, tempestive in usum vocata, ad varios eosque gravissimos morbos, & mature prævertendos, & , si præsto sint, profligandos.

§. XLVI.

*Ratio, quam
obrem vete-
res ad inedi-
am commen-
dandam per-
moti fuerint?*

Nec difficile erit reddere rationem, quæ priscos medicinæ antistites olim permoverit, curationis suæ initium, jejuni tridui adornare. Nam quum animadverterent, plerisque, qui mortalibus evenire solent, morbos, victui, vel iusto pleniori & copiosiori; vel inconvenienti, crudo atque inordinato, unde multæ cruditates & impuritates stomacho & corpori fuissent prognatæ, acceptos merito esse ferendos: crediderunt, cruda hæc atque indigesta, quæ partim in ventriculo, partim in vasis corporis stabularentur, non ulla magis compendiaria via corrigi posse, nisi ut ægro per tempus omni cibo interdiceretur; quo vis vitæ eo facilius cruda illa & incocta, quæ ventriculum onerarent, digerere atque emendare valeret. Quibus itaque subactis & in melioris notæ succos traductis, oblata ægrotanti medicamina, ipsius morbi vim promptius fore aggressura. Quemadmodum hæc non obscu-

obscurè iis perspici queunt, quæ in CORN. CELSI & COEL. AVREL. monumentis, posteritati relictis, relata extant.

(a) Libr. 3. c. 4.

§. XLVII.

Quamvis vero commemoratis hisce veterum medendi præceptis non ita subscribamus, ut inediam quibuscunque morbis proficuum & salutarem existimemus; aut diatriton illud omnino adprobemus: certum tamen est, & multorum experientissimorum Medicorum sedula annotatione abunde confirmatur, opportunam largioris victus interdictionem, atque adeo modicam inediam, ad plures eosque satis pertinaces morbos, tam coercendos, quam penitus vincendos, plurimum valere: quemadmodum hoc ex illis, quæ supra de abstinentiæ emolumento in medium prolata sunt, liquidius adparebit. In eo autem, quod ægrotos primo diatrito ab omni potu & cibo plane detinuerint, ipsis adstipulari minime possumus. Plura qui desiderat, CORNELII CELSI dignos cædro libros adeat, ubi Asclepiadis, Themisonis, Heraclidis aliorumque priscorum medendi methodos fusius relatas inveniet. Licet vero ipse CELSVS haud sane immodicam abstinentiam pluribus locis, & probaverit, & commendaverit: tantum tamen abest, ut quoscunque ægrotos ea fatigandos voluerit, quemadmodum Asclepiades; ut potius ægris, quovis morbo tentatis, cibos & potionem, prout necessitas exigeret, adhiberi disertis verbis disperse jusserit (a): *potest, inquit, primo die cibus dandus esse, potest secundo, potest tertio, potest non nisi quarto aut quinto: potest post unam accessionem, potest post duas; potest post plures. Refert enim qualis morbus sit, quale corpus, quale cælum, quæ ætas, quod tempus anni. Et paulo post ita habet: in morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus est.* In eo autem Asclepiades omnium præcipue graviter deliquisse mihi videtur, quod ægrotantes præter inediam, ingenti quoque siti torquere non erubuerit: quum tamen, experientia ipsa loquente, ipsis siti impensa nihil

Judicium de
diatritis

D 3

sit

fit intolerabilius, nihil perniciosius. Satis ego mihi iam dixisse videor de illo pretio, quod Medici vetustissimi omni memoria abstinentiæ statuerunt.

(a) Libr. 3. c. 4.

*Quæ subiecta
inediam se-
rant? rati-
one ætatis*

§. XLVIII.

Postquam hæcenus de abstinentiæ a victu & emolumento & detrimento, quæ animali nostræ œconomix afferre consuevit, longe lateque differuimus: a nostro instituto non alienum fore reor, hoc etiam loco breviter tantum modo attingere ea subiecta, quæ in ediam perferre valeant: quæque contra magno incommodo, quin sanitatis suæ dispendio, eam sustineant. Experientia enim ipsa compertum habemus, alium alio famis longe esse patientiorem. Namque prout homines ætate, temperamento, corporis fabrica, vitæ genere, imo etiam multis aliis inter se dissident: facilius quoque aut ægrius sibi alimenta subduci patiuntur. Sic homines, qui firmam ætatem sunt ingressi, inedia diutius toleranda multo sunt habiliores adolescentibus & pueris: hi vero aptiores fami sustinenda iis animadvertuntur, qui senectute sunt confecti, consentiente CELSO (a), *Inediam facillime sustinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri & senectute confecti.* In illo quippe ætatis flexu, ubi humanum corpus in longitudinem excrescere prorsus desinit, nec multum amplius in latitudinem extenditur, moderata victus carentia vix quicquam mali affert jejunantibus, præsertim si habitioris corporis sunt, & sanguine abundant. Aliter vero res se habet in iis, qui gracilioris habitus, nec succi pleni deprehenduntur.

(a) Libr. 1. c. 3.

§. XLIX.

*Ulterior hu-
ius materiæ
tractatio.*

Qui vero nondum ex pueris excesserunt, aut adolescentiam demum sunt ingressi, ad sui incrementum in longitudinem quotidiano victu indigent: inedia ergo perferenda minus tolerantes sunt prioribus. Senibus tandem quum in dies

cor-

corporis vires deficient; ex iis vero alimentis, quæ capiunt, ob languidam in ventriculo digestionem, vix quicquam laudabilis chylus elaboratur, nec tantum quidem, quantum ad vires reficiendas satis est: perspicue iam apparebit, quæ sit causa, quamobrem hi omnium famis sufferendæ sint impatientissimi. Non obscurum quoque erit, ex iis, quæ modo dixi, intelligere, quare nec infantes cibis quotidianis carere queant; ratio quippe eadem hic subest, quam de pueris paulo ante reddidi.

§. L. *De ratione temperamenti.*

Conuenit quoque dispicere, cur unum temperamentum præ alio jejunium facilius tolerare possit. Est enim in confesso, quasdam corporis temperies ad esuriendum multo accommodatiores esse aliis. Qui enim habitioris corporis sunt, atque exilibus vasis dotati, velut sanguinei, phlegmatici, vel quorum temperamentum ex utriusque mixtura emergit, multo facilius esu abstinere possunt, iis, qui macilento corpore sunt valdeque sicco, quales cholericæ & melancholicæ. Huius rei vix ulla subesse alia videtur ratio, quam quod laxiores & remissiores, quibus sanguinea temperatura & phlegmatica sunt dotatae, fibræ, languidius sanguinem in motum agunt; qui proinde vasorum parietibus minus attritus, nec inter se valide agitatus, maximam partem, suam seruat mixtionem; neque in tam multas fordes fatiscit, quam in temperamentis strictioris habitus. Hinc igitur largiore semper sanguinis proventu fruuntur, quam licciora temperamenta. At vero quum melancholicorum & biliosorum fibræ magis strictæ & adductæ validius in cruorem agant, ipsam fortius conquassando & terendo; non aliter fieri potest, quam ut maior eius copia quotidie in serum convertatur excrementitium. His igitur, ut in dies denuo accedat, unde & solidis & fluidis tantum & tale reddi queat, quantum & quale continuo sanguinis motu ipsis perditum, necesse est. Ecce tibi causam, quam-

Ratione temperamenti.

quam-

quamobrem laxiora temperamenta diutius siccoribus & macilentis inediae injurias tolerare possint.

§. LI.

Ratione vitae generis.

Quod ad vitae genus attinet; habeto homines vitae umbratili ac delicatae vacantes; desidiae deditos, nec corpus suum assiduis laboribus defatigantes ad inediam sufferendam multo aptiores esse aliis, qui victu tenuiori & parciore utuntur, ac laboribus dediti sunt gravioribus, velut operariis, agricolis, tritoribus, nautis aliisque id genus, quibus res angusta domi & curta supellex: confirmante illud Medicinae Parente Hippocrate (a), *ubi fames, ait, non est laborandum.* Hi quippe, cum multis & assiduis fere laboribus corpus delassent suum; ideoque purissimos quosque & alibiles succos pedetentim corrumpant; corpus non viribus tantum exhauriunt, sed etiam ex assumtis vilibus minusque nutrientibus vix tantum chyli recipiunt; quantum amissis & humoribus & viribus redinte grandis suppetit, illi vero opipare & apparate edentes & bibentes, ac inertiae & desidiae vacantes, cum maiori sanguinis copia indidem obruantur, quam pro vasorum capacitate & corporis necessitate: minime mirum cuidam videri debet, hos percommode aliquod tempus impransos atque incoenatos persistere posse, nulla notabili inde subsequenti noxa; aliis contra, qui cibis vilioribus & paucioribus utuntur, plurimum damni a fame longius perpessa accipientibus.

(a) Aphor. S. 2. apho. 16.

§. LII.

Ratione temporum anni.

Commemorabile etiam est, hominem eundem alias multo facilius, alias vero longe acrius, famem tolerare posse, sine valetudinis dispendio, prout anni tempora differant. Exploratae enim veritatis est, inediam homini longe esse tolerabiliorem brumali, quam aestivo tempore: nullaque alia subest causa, quam quod corpora hieme minus exhalent, poris

ris cutaneis gelido aëre occiſis, nec tanta cruoris copia, ob ſegniorem inteſtinum motum, in ſerum reſolvitur impurum, quanta æſtatis æſtu; ubi homines ſudore ſere diffluunt. Æſtivo enim tempore, impenſo ſolis ardore uſque adeo augetur inteſtinus ille ſanguinis motus, ut haud ſane exigua humorum vel delibatiffimorum multitudo in ſubtilia acria & ſeroſa quotidie reſolvantur excrementa; quæ per cutis poros, tunc temporis relaxatos, ſatisque patulos affatim corpore exeunt. Quid? quod conſentaneum eſt, per plures quoque illius liquidi, quod vim atque potentiam ſolidis præſtat, partes una cum recrementis iſtis e corpore exhalare. Quæ, quum ita ſint, nullo negotio intelligetur, quare nutritio partium corporis & reſectio quotidiana, æſtate magis ſit neceſſaria, quam hieme.

§. LIII.

Attenta etiam obſervatione conſtat, homines inedia ferendæ multo eſſe patientiores cœlo exiſtente denſo & gravi, quam tenuiori & leviori; craſſus enim aër corporis ſuperficiæ extrinſecus incumbens, poros obſerando, impedit; quo minus perpetua perſpiratio expedite procedat. Si vero aër nimium levis eſt, vaſa & humores minus premendo expandit, rarefacit. Plus ergo ſeri inteſtino ſanguinis motu generati per corporis ambitum exteriorẽ foras proſcribitur. In hoc itaque caſu, quum iuſtæ ſanguinis copiæ plus detrahatur, quam par eſt; in illo autem minus: in promptu erit rationem proferre, quare homines ſub aëre ſpiſſiori & pondere ſuo corpus gravante ad famem ſuſtentandam magis proclives ſint, quam eodem rarefacto & levi exiſtente. Eadem quoque hæc cauſa tibi facile pernotefcet, quam ob rem homines ſub frigido cœli tractu viventes, ciborum uſu diutius ſe abſtinere poſſint, quam qui ſub climate calidiori commorantur.

Ratione aeris diverſi.

Ratione se-
xus.

§. LIV.

Veri quoque videtur esse simile, foeminas maribus haud paulo esse appositiores ad inediam diuturniorem ferendam. Gaudent enim fibris multo laxioribus, nec ita tensis quam viri. Quæ cum remissius languidiusque in cruorem agant, haud quaquam tantum ipsius perdunt, inque recrementa impura convertunt, quantum in sexu masculino nasci observatur. Quippe cum viri validioribus fibris & longe contentioribus sint instructi, quæ validius sanguineum laticem agitant, atque in copiosiores varii generis sordes extenuant: fieri non potest, quin maiorem indies sanguinis tacturam faciant. Cui itaque & acribus istis circulari motu productis, involvendis, ut alia blanda & utilia denuo ad sanguineam perveniant massam necesse est. Satis ergo manifestum ex dictis erit, quamobrem mulieres, quæ uberiores semper sanguinis copiam in suis vasis fovant, quam viri, diutius esurientem præ maribus tolerare possint.

§. LV.

Conclusio.

Ac profecto vix mihi in tam lato differendi campo exitus pateret, omnia, quæ de damno & emolumento inediae in medium proferri possent, hac dissertatione consecuturo. Quod si enim unquam argumentum quoddam fructus in re Medica ostenderit uberrimos, tam ad prosperam valetudinem tuendam, quam ad morbos vel perniciosissimos feliciter profligandos: certe est egregium hoc thema, quod præsentis Dissertatione sumimus elaborandum. Verum angustia temporis mihi imperat, ut velorum sermonis contrahendorum memor sim. Nihil itaque est, quod impensius opto, quam ut L. B. hæc quales: cunque meas lucubrationes æqui bonique consulat.

TANTVM.

NOBI.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DNO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

Optime non minus, quam verissime disertus ille gentilium philosophus CICERO lib. I. Tuscul. quæst. prodidit: philosophiæ vis non idem potest apud omnes; tum valet multum, cum est idoneam complexa naturam. Quod sapientissimum dictum de omnis generis artibus, disciplinis & scientiis certissime valet. Harum enim omnium cognitio sicut ad publicam utilitatem promouendam quam plurimum confert; ita singulari diuinæ prouidentiae beneficio factum esse arbitror, ut ad certas scientias & comprehendendas & perficiendas una cum parentum semine apta innascentur ingenia, quæ ad rerum, quas tractant, intelligentiam felicius faciliusque pertingunt. Differunt hinc inde discipline, prout discrepant ipsæ animæ facultates, quas præcipue ingenium, seu vim imaginatiuam, memoriam atque iudicium numeramus. Ita enim musica, pictura, sculptura & poesis excellentem vim ingenii imaginatiuam, historia, oratoria & linguarum cognitio fœcundam memoriam, mathesis autem, philo-
E 2 phia

phia & medicina, quæ verus philosophiæ fœtus est, in-
signe iudicii acumen, quod ad obseruationem, medita-
tionem & comparationem rerum idoneum sit, requi-
runt. Felices itaque eruditorum illi habendi sunt,
qui ad scientiam, quam discere & profiteri volunt, na-
turam adferunt idoneam: quod potissimum fieri de-
prebendimus, si quando a parentibus prognati fue-
rint, qui in eodem scientiæ genere excelluerunt. Quæ
cum ita sint, si de vlllo ex meis, qui medicinam sectan-
tur, discipulis auspicati quidpiam aut prosperi omi-
nandum est, certe mihi multa de Te, Clarissime Can-
ditate, firmissima spe polliceor: siquidem ex familia
Tu natus es, quæ ad res naturales, medicas & chy-
micas solide perscrutandas nunquam fere non propen-
sissima fuit. Testis est magni STRVVI vxor, auia
Tua, quæ rariori sequioris sexus exemplo sanioribus
chymicæ præceptis imbuta prima olim Ienæ pretiosas
auri moleculas, cum Salæ fluuio aduectas ex sabulo pe-
rite docuit eluere atque colligere; testis est germanus
eiusdem frater B. Berlichius, vir probus, eruditus &
mibi in primis academiæ annis fidelis amicus, qui præ-
claram in arte chymica peritiam varii generis scri-
ptis, & in primis quidem libro, cui metamorphosis
planetarum titulus est, abunde demonstrauit: testis
est ipse honoratissimus Parens Tuus, vir tam annis
quam experientia doctissimus, qui & fratri Tuo, Cla-
rissimo

rissimo Academia Kiloniensis Professore, & Tibi summum erga res naturales & medicas implantavit amorem, ut nati a medico ad medicinam videamini. Atque hac natiua ad medicinam propensione vos ambo instructi, intra breue temporis spatium tam egregios in diuino hoc studio progressus fecistis, ut reipublicæ commodis inseruire possitis aptissime. Commonstrant hoc maxime præsens a Te elaborata dissertatio, quam cum mihi perlegendam tradidisti, meumque simul præsidium implorasti, nolui honesto desiderio deesse, sed omni potius ratione eidem satisfacere; maxime cum non exigua ducam felicitati, si me & patrem, & duos ipsius filios saluberrimis artis medicæ præceptis imbuisse, atque diligentes habuisse discipulos memini. Et licet propter varia, quibus senectus premitur, incommoda, Te iam ipse in cathedram ducere vix valeam, optimo tamen consilio faciendum putavi, ut a filio meo adiutus summos in arte honores, ut mereris, reciperes; nihil magis toto ex pectore optans, quam ut iisdem in patriæ emolumentum, Tuorum gaudium, & ægotantium, qui se Tibi sanandos tradent, salutem cum successu fruaris quam diutissime. Dabam Halæ Magdeburgicæ a. d. XIII. Maii clcIcccXXXIX.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
FRIDERICO CHRIST. STRVVIO
AGNATO CARISSIMO

S. P. D.

FRIEDRICH GOTTLIEB STRVVE, D.

Consiliarius Justitiæ & Professor juris Primarius in
Academia Kiloniensi.

Quod assertum Ulpianus Ictus memorat in
l. 1. Dig. de Decret. ab Ord. fac. nimirum;
tales medicos, ad capiendum honoris premium,
esse seligendos, de quibus certum sit, eos
probitate atque peritia artis medicæ esse
instructos; id Tibi, Amice & Agnate suavis-
sime, optimo ac merito iure vindicare poteris.
Sive enim animi Tui candorem ac morum probitatem
spectare velimus; sive impensam Tuam per plures
annos, in rem medicam diligentiam, atque inde
comparatam artis scientiam consideremus, omnia
ita se habent, ut dignissimum Te summi honoris
medici Candidatum constituent. Adparet certe
in Te nativa quædam patriæ virtutis indoles,
Tuo præclaro exemplo iam magis culta atque
exornata, ut inde nihil aliud, quam felicissimum
augurium de futura fortunæ Tuæ conditione
capere liceat. Alit enim honestos animos spes
pulcherrima, nec providentia fati eos destituit,
quos
natu-

*natura & ars ad maiora molimina effinxit. Experientia, rerum magistra, a qua arbitrium maximum in re medica dependet, Te iam recipit ad suae doctrinae fidem, ut politio-rem in dies reddat atque adaugeat positam in Te fiduciam, quam multis speciminibus disputando & aliis modis publice prae- buisti. Adscendas proinde Cathedram, cum optimorum adplausu Transgredi- aris adhuc metam, cum omni felicitate, quam Struviani nominis, in arte medica, exquisita & confirmata gloria obtinuit. Sic & Tibi, & omnibus, qui Tibi & cognationis & amicitiae vinculo con- juncti sunt, bene erit. Id quod Tibi ex animo ad- precor. Vale. Dabam Kilonii die 2. Maii
M DCC XXXIX.*

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE D. & P. P.

S*truviani nominis decoribus accedis haud se- gni gradu, neque infitiandum nomen habe- bis inter tot egregie doctos viros, quos ea- dem familia eduxit. Non patitur institu- tum,*

tum, nec permittit tempus, ut nominibus suis recenseam, quorum gloriam amularis. TE vero litteris illis, quæ omni studiorum generi præsidio sunt, probe instructum & exornatum ita semper alacrem & indefessum vidi ad ea quæ in medicina addiscenda requiruntur, eniti, ut non satis putares, si per complures annos auscultares præceptoribus & auditioni vacares; verum etiam a primo ingressu studii medici iam meministi ad differendum alacriter TE progressum fuisse, quoties se occasio, quæ non refugienti apud nos frequens est, offerret. Sed nec ita solum habitare apud medicinam voluisti, ut ceteris litteris nuncium remitteres. Philosophos audiisti & philologos non neglexisti: probeque delectauisti me assidua industria, quum præteriti anni æstiuis mensibus antiquitates Græcas & Romanas ex numismatibus explicarem. Hæc quum semper eodem modo agentem TE intellexerim, non possum utique vereri ne tui dissimilis fias, si hinc discesseris. Non opus itaque existimo TE hortari ut ita pergas Mineruam Hygeam colere. Potius gratulor TIBI præmia, quæ utraque amplissime dabit, quorumque primitias hodierno die consequeris. Seruet TE Deus & faxit ut tantum reipublicæ diu viuendo & valendo inseruias, quantum tuæ virtutes de TE promittunt. Hale Magdeburgicæ a. d. XV. Maii
c1o lccc XXXIX.